DISPUTATIO IURIDICA INAUGURALIS DE TRIBUS VITIIS EQUORUM...

Johann Jakob Vitravius, Johann Ludwig Gutbier, Valenti Gonzaga





DISPVTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS DE TRIBVS VITIIS EQVORVM CAPITALIBVS SAXONICIS

PROOEMIVM.



ETsi naturaliter alias concessum sit in contractibus invicem se circumvenire, ut JCtus loquitur in *L. 16.* §. *4. ff.* de Minor. & *L. 22.* §. *fin. ff. locat. cond.* tantum tamen abest, ut jura nostra dolo & fraudi patrocinentur, ut potius ad rescindendum contractum ex Capite doli & fraudulentæ læsionis, vel ob vitium rei venditæ ad redhibendum nec non quanti minoris, vel quando etiam pluris actio conceda- tur. in *l. 14.* §. *9. ff. de Ædil. Ed. junct. L. 13.* §. *4. ff. de act. Emt.* Neque enim per τὸ naturaliter, Jus Naturale intelligitur, quasi jure Naturali lædere alterum permittetur, siquidem hoc cum communibus juris principiis, quibus jus Suum cuique tribuere jubemur, & alterum lædere prohibemur, pugnaret; Verum, vel ita Textus isti sunt explicandi, ut, per τὸ naturaliter, com-

commune emtionis venditionis accidens, quasi inseparabile, quo semper venditor, cariori, aut sufficienti ad minimum pretio se vendere, emtor vero viliori, aut justo, emere intendit, subintelligamus, siquidem secundum illud necessario semper ex natura contractus communi, alteruter eorum decipitur; vel, id de jure gentium exaudiendum, stylo juri nostro justinianeo non insconsveto, quo sæpe JUS NATURALE pro gentium jure, ut in §. 11. *J. de Rer. div.* accipitur, maxime cum & contractus pene omnes ex jure Gentium sint. §. 2. *J. de J. N. G. & Civ.* ut proinde formulæ illius loquendi sensus hic sit:

quod jure Gentium, i. e. moribus læsio in Contractibus toleretur, neque ob eam isti rescindantur.

Quanquam eapropter, jus Nostrum iniquitatis accusari nequeat, cum læsiones minime approbet, sed ad evitandum majus malum, infinitas sc. lites & resciſſiones contractuum saltim toleret; quoties autem interesse publicum cum æquitate naturali & aliquali privatorum læsione concurrit, toties illud hic prævalet, prout exemplo usucapionis & præscriptionis id manifestum est, quæ, etsi apertam iniquitatem & læsionem proprietariorum, privationem scilicet dominii contineant, atque ob id etiam improba temporis allegatio in *Novell. 9.* vocetur, ob interesse tamen publicum, ne dominia rerum sint in incerto, quin & in pœnam negligentium res suas tolerantur & comprobantur. *pr. J. de Usuc.* Hinc & in emtionibus Venditionibus qualescunque læsiones tolerantur, nec ob quæcunque rerum emtarum læviora vitia ad resciſſionem contractus vel redhibitionem agi potest, sed occulta esse oportet, & talia, quæ usum eorum impediunt, quasque adeo emtor, si scivisset, vel plane non vel non Tanti emturus fuisset.

Et quamvis in Equis, non minus, quam ceteris ani-

ma-

malibus ob vitia hujusmodi occulta, ædilitia actio obtineat jure Civili, Frantzkius in *Comment. ad ff. l. 21. Tit. 1. n. 81.* noſtro tamen Saxonico ſingulare eſt in Equorum emtionibus, ut Venditor, non niſi de tribus Cardinalibus Vitiis teneatur, & ad redhibendum conveniri poſſit, de quibus in præſentiarum latius agendum, & quidem oſtendendo

I. in quo conſiſtant vitia.
II. quomodo probentur.
III. ad quid obligetur venditor.
IV. quæ inde actiones competant.

CAP. I.

In quo conſiſtant Tria iſta vitia.

§. I.

EQVVM ab æquitate nonnulli derivant, detracta prima littera, quæ diphtongum efficit, quod pares equi eligi ſolerent, qui bigis, quadrigis jungerentur, teſt. Ambroſ. Calepino *in dict. lat. Voc. Equi.*

Atque hinc Jac. Speidelius, in *Specul. jurid. p. 1.* Voc. Pferdt; *Equus*, inquit, *ab æqualitate dicitur, licet e, brevietur, quia, quando quadrigis jungebantur, pares æquabantur, inde, diminutivum equuleus, i. e. parvus Equus, vel genus tormentorum, inde etiam equuleus & equinus.* Aliter paulo Beſoldus, in *Theſ. pract. lit. P. 74.* voc. Pferdt. *fol. 776.* ubi ex Limnæi *jur. publ. l. 6. c. 6. n. 62.* ex æquo equum, denominari ait, weil das Pferdt kein Anſehen der Perſonen hat/ ſondern ſo bald einen Fürſten/ als einen Stalljungen/ der es nicht zu beſitzen erlernet/ zum Sand-Reiter machet. Verum valde tortuoſæ, non dicam ridiculæ hæ denominationes ſunt. Ego vocem Equi pro primitiva habeo.

§. II.

Per VITIA hic intelliguntur defectus & corruptiones Corporis aut animi. Unde dividi possunt in EXTERNA, quæ Corporis, & INTERNA, quæ animi sunt, quibus & tertia Species addenda, MIXTA, quæ corporis & animi simul sunt. *L. 4.* §. *4. ff. de ædil. Ed.* Præterea distingvunt nonnulli inter vitia & morbos, morbumque gravius vitio, vitium vero levius morbo esse ajunt, illumque jumenta & eorum operationes in iis, quæ ad Esse simpliciter illis inserviunt, hoc vero ea respicere in iis, quæ faciunt ad bene esse. Et quamvis alias vitium & morbus utique differant, ita ut morbosus quidem vitiosus, non autem viceversa, vitiosus morbosus sit. vid. A. Gellius. *noct. attic. l. 4. C. 2. p. m. 275.* Hic tamen Jure Consultis hæc pro Synonimis sunt, ita, ut morbus vitiumve iis dicatur affectus præter naturam, qui usum, ministeriumque hominis aut jumenti impedit.

Et hoc probatur per *L. 1.* §. *7. ff. de ædil. Edict.* Fuit enim hac de re olim disputatio inter Sabinianos & Proculianos, quibus addictus etiam fuit Modestinus, hic enim, ut habetur in *L. 101.* §. *1. ff. de V. S.* putavit, morbum esse temporalem corporis imbecillitatem, Vitium vero perpetuum Corporis impedimentum *d. l. 101.* §. *2.* Labeo vero, Trebatius & Sabinus existimarunt, nullam, quoad hoc Edictum differentiam subesse, quorum sententiam secutus est Ulpianus. Sed omnis hæc dubitatio sublata & res decisa est per *L. 1.* §. *1. ff. de ædil. Edicto*, in qua particula Vè, verbis; MORBI, VITIIVE, non est adversativa, sed Explicativa, quia ob Corporis morbum detenta, indistincte vitiosa dicuntur, tum in *d. l. 1.* §. *7. & 8.* tum in *L. 4. & 10. ff. Eod.* Non tamen quodvis levissimum sufficit, sed tale oportet esse, quod uti dictum ministerium illius impedit. vid. Hahn. *ad* Wesenbec. *parat.*

L.

L. 21. T. 1. n. 3. Et quamvis alias ob vitium animi, redhibitionem locum non habere dicatur, in *L. 4. §. 4. ff. de Ædil. Ed.* ſed ex Emto ſaltem quanti minoris concedatur actio *L. 1. §. 9. & 10. ff. Eod.* Intelligendum tamen hoc tantum de Mancipiis eſt, in quibus, correctione & ſeveriori diſciplina corrigi & emendari vitium poteſt Bechman *Comment. ff. Vol. 1. Exercit. 6. Lib. 21. T. 1. n. 54.*

§. III.

Varia autem a variis diverſi generis referuntur Equorum Vitia, & a D. Joh. Wilh. Rövenſtrunck in Tr. de *Medit. Ædilit. l. 1. C. 4. n. 23.* quidem REDHIBITORIA, triginta quinque, ad ÆSTIMATORIAM, ſ. quanti MINORIS, vero actionem, quadraginta quatuor refert, *L. cit. L. 2. p. 1. n. 28.*

At Dominus Richter in *p. 1. Deciſ. 95. n. 29. fol. 205.* duo & triginta tantum; a Domino Leyſero in jure Georg. *C. 12. n. 66. ſeqq.* triginta quinque enumerantur. At e contrario Dominus D. Biccius in *Nucleo Colleg. Jur. Argent. ad L. 21. ff. T. 1. §. 11.* ad denarium numerum ea reducit:

1. Si ſint calcitroſi.
2. Si phrenetici, **Kollernd.**
3. Pavidi. **Scheu** / ut ſemet ipſos turbent & eripiant. *L. 43. ff. de ædil. Ed.*
4. Superoſſa vel gallas habentes **aberbeinigt.**
5. Si ſint furtivi aut prædati, **geraubt oder geſtohlen.**
6. Scabioſi, **Haarſchlechtig.**
7. Retrogradi, **Stettig.**
8. Lunatici, **Hauptſiech** / **als Mönnig oder Rotzig.**
9. Laborantes coecitate latente, **Staarblind.**
10. **Reudig.**

Francofurtenſes autem in *Reform. Civit. p. 2. T. 9. §. 4.* quatuor ſaltem ad Reſciſſionem contractus ſufficere ſtatuunt:

1. Si ſit furtivus aut prædatitius.

2. Si

2. Si Scabiosus, Haarschlechtig.
3. Retrogradus, Stettig.
4. Lunaticus Hauptsiech/als Mönnig oder Rotzig.

Dominus Lud. Gillhausen *in arb. judic. Civ. C. 6. p. 1. §. 225. n. 4.* etiam quatuor species eorum asserit, sed latentem Coecitatem iis non annumerat, ut

1. Daß es nicht gestohlen.
2. Nicht Stettig.
3. Nicht Rotzig.
4. Nicht Bauchbläßig oder Haarschlechtig sey.

Enim vero, quia primum, non tam Equum ipsum quam ejus possessorem, illiusque saltem Titulum attinet, adeoque extra Equum est, & sic possessoris potius quam Equi ipsius vitium respicit, Tria tantum vera remanent Vitia, quot equidem numero NORINBERGENSES quoque in *Reformat. Civit. l. 4. T. 16. §. 1.* habent, nimirum

1. ne sit Rotzig.
2. Reudig.
3. Haarschlechtig.

Et jure LVBECENSI itidem de tribus solum obligatur Venditor, ut scilicet non sit

1. Asthmaticus, anbrüstig.
2. Retrogradus, Stetig.
3. Lunaticus Schnobisch. vid. Mev. *ad jus Lub. L. 3. Tit. 6. art. 17.*

Jure denique SAXONICO, etiam tribus saltem vitiis conveniri Venditor redhibitoria potest,

1. Si sit retrogradus, wenn es Stetig ist.
2. Si coecitate latente laboret, wenn es Staarblind ist.
3. St sit scabiosus, wenn es Haarschlechtig ist.

Ideo

Ideo vero hæc tria vitia in Equis præstanda & tacite excepta censenda censentur, quia ut interna invisibilia sunt, nec non nisi usu demum se exserunt, & Emtorem quantumvis etiam equorum peritum & versutum latere & fallere possunt. vid. Colleg. Argent. *L. 21. T. 1. §. 17.*

IV.

Transeundum nunc ad Vitia specialia, interque. I. primum locum obtinet: Ne sit RETROGRADUS, daß es nicht stettig sey / si scilicet nulla vi, nec verberibus ad procedendum cogi potest, sed uno, eodemque loco subsistit, & retro potius cedens se elevat, pedibusque calcitrat, adeo ut nullum iter cum eo suscipi, nedum peragi possit, sicque vitium hoc omnem prorsus usum & ministerium impediat, proindeque talis equus Venditori non immerito redhibendus est, eum iniquum esset Carere pretio & usu equi Emtorem, Venditorem vero se cum damno illius locupletare debere, maxime, si vitium hoc non sit continuum, sed intervalla habeat, certisque tantum temporibus contra naturam generis sui sic agere soleat, ita ut non statim cuique vitium hoc innotescere possit. Atque in hoc talis retrogradus Equus cum PHRENETICO, mit dem Kollerichten / fere convenit, dum æque occultum est, nec statim se exserit, ut ut Vitium hoc inter Cardinalia non referatur, nec ob id redhiberi talis Equus phreneticus possit. *Test.* Carpzov. *p. 2. C. 34. def. 17. n. 2.* Dn. Bechman. *Comment. ff. Vol. 1. p. 2. Ex. 7. lib. 21. Tit. 1. obs. pract. §. 4. n. 62.* Dn. Richter *decis. 95. n. 31.* præjudiciis hoc confirmantibus; Alii e contrario iis tum annumerant, si per illud equus inidoneus reddatur, prout a Scabinis Wittenbergensibus M. April ao. 1708. respondisse refert *Dn. D. Joh. Henr.* Ber-

stettig. Kollricht. *Sentent. Lipsiensium.* *Sententia Witteb.*

Berger, *in oeconomia jur. l. 3. Tit. 8. §. 6. not. 3.* Confer. Godofr. *Christian Leyser in jur. Georg. L. 2. c. 12. n. 101. fol. 356.*

Lunatici. Illud hic notari meretur, quod PHRENETICI & LVNATICI a nonnullis interpretibus pro iisdem habeantur & per Kollernd reddantur, ut videre est apud Dn. Carpz. Dn. D. Berger. & Richter *loc. cit.* nec non apud Franzkium *Comm. ff. l. 21. Tit. 1. n. 82.* & Zobelium in *different. jur. Civ. & Sax. 38. n. 17.* id. Rudinger in *singul. observat. Cent. 4. Obs. 8.*

Distinctio Revenstrunckii. At *D. Joh. W.* Revenstrunck *tr. Meditat. ædilit. l. 1. Cap. 4. n. 3. & 9.* ita a se invicem discernit, ut phreneticum, malis spiritibus captum, der Kollernd und unsinnig wird/ appellet, LVNATICVM vero, cujus visus cum revolutione lunæ crescit & decrescit, Mon-Aeugig/ cum Felicio *Tr. de Societat. c. 7. n. 22. seqq.* & sic obscurum per æque obscurum describit & præter nomina Vitiorum in quo ea proprie consistant, non explicat, ut proinde non immerito de eo *Dn. Joh. Volck.* Bechman in *disp. de Eo, quod circa Equos justum est. Jen. 1676. habit. c. 3. §. 8. in fin.* tale fert judicium: quod ædilitias suas meditationes ad Equestre quidem judicium præcipue direxerit, maxima autem libri istius pars, non nisi circa communia versetur.

§. V.

Vitium Coecitas latens. II. Est, si coecitate LATENTE LABORET, hoc est, si ejus oculi membrana obducti sint. Revenstrunck *l. cit. n. 12.* hoc enim occultum & invisibile oculorum vitium est, quod prudentissimos nonnunquam fallit, nec ab unoquoque tam facile cognosci potest, unde non immerito a Venditione id Emtori præstandum. A quo tamen differt Coecutiens, das blöde Augen hat/ nec

Differ. Coecutiens.

non

non Maculam habens, das ein Fleck auf den Auge hat. Rövenstrunck *d. l. n. 11. & 13.* quia ille oculorum usu penitus destituitur, hi vero ægre tantum & imbecillius vident.

Myopem quoque & Luscitiosum, morbosos esse atque ob id redhiberi eos posse in *L. 10. §. 3. & 4. ff. de ædil. Edict.* dicitur. Quod tamen ita attemperandum esse arbitror, si tale vitium, usum ministeriumque illius prorsus impediat, quod de eo, qui coecitate latente laborat, dubio caret, quod si vero ad certum aliquem usum, ubi non tam oculorum acie, quam robore corporis opus habet, expresse illum emerit, isque laboribus istis sufferendis par esset, redhibitioni minime locum dandum existimem, cum usum suum, in quem sibi eum comparasset, præstare possit. arg. *L. 1. §. 8. ff. de ædil. Edict.* ut ut pro qualitate circumstantiarum, quanti MINORIS, agi nihilominus posse, non negaverim. *Myops & Luscitiosus.* *Limitat.*

§. VI.

III. Ut non sit SCABIOSVS, daß es nicht Haar- sive potius Hartschlechtig sey; cum enim scabies s. calvities & pilorum nuditas, non vitium internum, sed externum cuique in oculos incurrens sit, nec a venditore se deceptum esse Emtor conqueri possit, atque ob id etiam ædilitiis Actionibus agere nequit; hinc non tam Haarschlechtig / quam Hartschlägig / efferri debet, ut idem sit ac Hart i. e. valde s. graviter, & Hartschlägig / i. e. anhelans, qui i. e. graviter anhelat s. respirat, dessen Lunge im Leibe angewachsen ist / ita, ut respirare libere nequeat, dum pulmones se extendere non possunt, vel ut magis probabile a voce Hart / veterum Saxonum & modernorum etiam inferioris Saxoniæ inco- *Haarschlechtig.* *Potius dicendum Hartschlägig.*

 larum

in Ord. Francof. vocatur, Dámpfige Schlachbäuchige Pferde.
Jure Lubecensi vocatur. Asthmaticus.
Refut. Titii JCti Lips. opinio.

larum idiomate, idem ac Hertz/ significante & schlägig i. e. palpitans, ita ut Hartschlägig idem sit ac Hertzschlägig/ h. e. Equus vitio palpitantis cordis s. asthmate laborans, ein Engebrüstig Pferd/ tale enim Vitium omnino latens est, usque dum per unum vel alterum milliare iter factum, ex quo deinde tales asthmatici Equi palpitante corde, quasi suffocaturi, vix anhelare, nec procedere amplius possunt, vocentur hinc etiam Dämpfige/ Schlagbäugige Pferde/ in *ord. Francof.* §. *3.* Conf. *Dn.* Schilter *Exercit. jur. 34. ad L.* 21. *ff. Tit.* 1. §. 15. & in Statuto Lubecensi, expresse cavetur, ne Equus sit Asthmaticus. vid. Mevium *in jur. Lubec. L. 3. Tit. 6. art.* 17. *fol. 655. n. 5.* Ex quo apparet Scabiosum non recte vocari a *Dn. D.* Titio, in *observ. ad Lauterb. l.* 21. *Tit.* 1. *obs. 688.*

in Thuringia 4tum vitium, Rotzig, *annumeratur. Secus jure Saxonico.*

Pituitosum, cum pituitosus idem sit ac Mucosus, Rotzig/ quale Vitium quidem in THURINGIA IVto loco jungi vitiis Cardinalibus solet, non autem jure SAXONICO. Frantzkius *in Comment. ff. l.* 21. *Tit.* 1. *n.* 84. Richter *Decis. 95. n. 33.*

CAP. II.

§. I.

In probat. Vitior. respiciend. 1.) Vitium 2.) Tempus. per duos Test. juratos.

Cum vitia hujusmodi non præsumantur, hinc probatione eorum opus est, & quidem tum ratione vitii ipsius, tum etiam ratione temporis.

VITIUM ipsum, & an eo equus infectus sit, per peritos Equorum, & Hippiatros explorandum est, durch Pferde-Händler/ Roßtauscher/ Hufschmiede/ Pferdtärtzte/ und andere Pferdverständige. Revenstrunck *Medit. Ædil. L. 2. c. 2. n.* 5. & quidem per DUOS JURATOS.

TOS. *a. L. 12. ff. de Test.* Si tot haberi possunt, sin Unus tantum ibi fuerit, illius quoque solius judicium sufficere ait. Ludov. Gillhausen, in *arbor. judiciar. Civ. Cap. 6. p. 1.* §. *223.* non quidem ad plenariam condemnationem, sed vel ad suppletorium, vel purgatorium, prout tale præjudicium e Scabinatu Wittebergensi de ao. 1708. adducit *Dn.* Berger *in oeconomia jur. L. 3. Tit. 8. §. 6. Not. 1.* *Sin Unus tantum? quid decernendum.*

§. II.

Requiritur autem, ut TEMPORE celebrati contractus & traditionis jamdum tali vitio Cardinali affectus fuerit equus, non vero, si ex post facto illud ei supervenerit; quod posterius exinde præsumitur, si venditor probare possit, per servos vel ministros aut alios, quibus equum illum forte, brevi ante venditionem commodavit, quod nec cœcitatis vitium in eo, nec quod retrogradus aut asthmaticus tum fuerit, observaverint, maxime, cum & ex malo servorum imperitorum regimine, aut acerba tractatione equus facile confundi & retrogradus reddi possit, nec non culpa eorundem vel casu etiam oculis lædi aut ex pastura venenata vel alia nociva asthmatis vitium contrahere queat, idque tum præprimis factum esse creditur, si post TRIDUUM se illud demum exserat. Teste *Dn.* Berger. *l. c.* quod triduum etiam in Lunaticis seu phreneticis attendendum esse, idem *d. l.* docet. Addatur Cardin. Tusch. *pract. conclus. Voc. Equus. Concl. 312. fol. 158.* atque ita in Causa Theuermeisters contra Andreas Schmieden ad interrogationem des Amtmanns zu Schweinitz / M. April. 1708. respondisse: Würde Beklagter sich endlich reinigen / daß er nicht wisse noch glaube und dafür halte / daß das libellirte Pferd zur Zeit des geschlossenen Kauffs kollernd gewesen / *Tempus est Triduum.*

noch in dreyen Tagen von solcher Zeit an kollernd und dadurch untüchtig worden / schweren / so hat Klägers Suchen nicht statt. Testatur Dn. Berger. l. c. Quia vero Equi etiam Lunatici & retrogradi sua habere solent intervalla, nescio, an ex lapsu tridui supervenientia vitii præcise inferenda sit; & quid, si cum scabioso seu asthmatico intra triduum nullum iter susceptum fuerit, atque sic nec observari vitium hoc potuerit, an igitur post Triduum Emtor sua actione excludendus erit? Vix hoc asserendum crediderim, maxime si mortuo & dissecto eo ex visceribus appareat, Asthmate laborasse, judicioque peritorum, h. e. Excoriatorum vel aliorum impossibile esse, ut nudius tertius demum vitium hoc contraxerit sed longe ante jamdum eo affectus fuerit, non enim dubito, quin tali casu, non obstante tridui lapsu, ad restituendum pretium cum interesse, damno & expensis, agere possit; Aliud est, si non Asthmate, sed alio morbo perierit, quia tunc mors illius casui fortuito adscribenda. *a. l. 3. C. de Ædilit. act.* tametsi facta sectione & inspectione, pulmone & hepate putridus inveniatur, wenn ihme Lunge und Leber verfaulet ist / test. Carpzov. *p. 2. C. 34. definit. 17. Dn.* Bechm. *Vol. 1. p. 2. Exerc. 7. lib. ff. 21. T. 1. obs. pract. 3. n. 61.* Brevi igitur post Venditionem, & quam primum potest Equi Vitiosi inspectio fieri debet, ad probandum inde Equi vitium. Nam etsi integros sex Menses utiles habeat Emtor, intra quos ad redhibendum, integrumque annum utilem, quo æstimatoria agere potest, aliud tamen est fatale INSTITVENDÆ ACTIONIS; aliud FVTVRÆ PROBATIONIS præparandæ. Quomodo enim Testes & Inspectores de vitii qualitate & imprimis, quod tempore traditionis in Equo jamdum fuerit,

Si intra Triduum vitium non innotescat, an post triduum actio institui potest?

Fatale action.

rit, deponere vel atteſtari poſſunt, ſi eo tempore equos non viderint, ſed diu poſt, cum medio tempore culpa vel caſu plura Equis obvenire potuerint mala. Hinc cum Chriſtoph Ehrenfried von Ponigkau Capitaneus Regio-Electoralis Saxonicus in prætorio Lipſienſi, contra Jacobum Pippingen, Civem & Mercatorem Lipſienſem, ex capite Vitioſorum, a Creditore illius Mercatoris, Cive Hamburgenſi, Lorenz Gilles, ipſi Venditorum & traditorum Octoginta Equorum, impetrata de non ſolvendo inhibitione, ageret, inſpectores vero fabri ferrarii, aliique ut ferebantur equorum periti in Teſtes ab actore producti, ad interrogatoria deponere haud potuerint, quod Equi ipſis ex poſtfacto demonſtrati de illis fuerint, quos actor a Venditore accepiſſet, probatoque a Reo, e contrario, Equos illos actorem ſtatim inter gregarios milites diſtribuiſſe, qui iis per aliquot ſeptimanas pro lubitu uſi fuiſſent, finita probatione & reprobatione Reus ultimo ab inſtituta actione a Dominis Scabinis Lipſienſibus M. Octobr. ao. 1711. abſolutus eſt.

§. III.

Quodnam autem tempus breve ſit, arbitrio judicis eſt relinquendum: In nonnullis tamen locis certus, isque longior etiam triduo Terminus ſtatutus eſt, intra quem vitia poſt contractum apparentia a Venditore præſtari debeat; Reformatio Norica it. diſponit: Würden dann Schweine oder andere dergleichen Thiere/ die der Schau bedürffen/ verkaufft/ die ſollen durch die Schau dem Käuffer gefertiget werden/ und die Wehrſchafft 14. Tage beſtehen. *Tempus in locis quibusdam Certus eſt.*

URATISLAVIÆ tempus eſt QVATVOR SEPTIMANARVM in Venditionibus Equorum, referente hoc

Dn.

Dn. D. Sam. Strykio *in Usu Mod. ff. L. 21. Tit. 1.* §. *28.* & in Concluso Senatus Francofurtensis ad Moenum, adducente *id. Joh.* Schiltero *in prax. jur Rom. Exercit. 34.* §. *15. lit. a. fol. 313.* unus adhuc dies ultra Mensem adjectus est, verbis: Wolte den Keuffer bedüncken/ das Pferdt were mit einen gemeldten dreyen Wandel beladen/ so soll er solches dem Verkäuffer/ da er noch beyhanden/ oder da er verreisset/ seinen Wirth/ bey deme er damals zur Herberge gelegen/solches verkunden/ fürters an seinen Gast förderlich gelangen zu lassen/ darauf das Pferdt in eine offene Herberge ziehen/ und daselbst 4. Wochen stehen lassen und dem Wirth dasselbige befehlen/ Er aber und der Verkäuffer mittler Zeit darbey nicht kommen/ sondern die 4. Verordnete/ so darüber beeydiget seyn/ welche so offt sie es von nöthen achten/ darüber gehen/ und das Pferdt mit Fleiß besichtigen sollen; So dann nach Verfliessung der 4. Wochen und eines Tages/ dieselben 4. Meister bey ihren gethanen Eyden das Pferdt der geklagten Mängel rein erkennen/ so muß der Käuffer das Pferdt behalten ꝛc.

Apud Gallos. Apud Gallos in Venditione Equi, NOVEM tantum dies præstitutas redhibitioni esse, refert *Dn. Joh. Jac.* Wissenb. *disp. ff. 41. L. 21. T. 1. thes. 3.*

Nihil interest, an Emtio fiat in foro publico an ædibus privatis. Quamvis autem regulariter nihil interest, in Nundinis an extra eas, in foro publico, an privatorum ædibus emtio fiat, cum hic æquitas & læsio respiciatur.

Singulare tamen & Statuto HAMBVRGENSI *part. 2. Tit. 8.* §. *17.* introductum est, quod Equi in foro publico vel in Navibus emti, inspectio & redhibitio statim fieri debe-

debeat, sin illum domum secum, citra protestationem receperit, licet postea vitiosus reperiatur, damnum hoc emtoris est, nisi contrahentes aliter convenerint: in verb: Wenn ein Mann Korn/ Holtz/ Ochsen/ Schweine/ Schaafe/ Pferde und dergleichen fahrende Haabe auf den freyen Marckte/ oder auch in denen Schiffen/ besehen und gekaufft hat/ auch darauf in seine Behausung und Gewehr bracht/ das muß er ohne alle Exception gelten und bezahlen/ es wären ihre Vorworte anders.

Imprimis vero in scabiosis VRATISLAVIÆ peculiaris instituitur vitii hujus examinatio, dum de certo loco in alium pleno cursu agitari solet, referente hoc ita *Dn.* Stryckio *in Usu Mod. ff. L. 21. Tit. 1.* §. *18.* in Verbis: Es ist vor dem Schweidnischen Thore ein gewisses Ziel/ wohin es durch den Haber-Voigt und Cammer-Reiter/ im vollen Lauff geritten/ und dadurch dieses vitium erforschet wird. Interdum ita quoque: Daß das Pferdt in Marstall/ oder auch ausser demselben auf der Gasse oder vorn Schweidnitzer Thor einigemale auf und nieder geritten/ und dadurch die Hertzschlägigkeit probiret wird.

Vratislavia peculiaris investigatio vitii instituitur.

Atque hinc est, quod in nonnullis locis certa judicia Equestria habeant, Pferde-Gerichte/ quæ lites circa emtionem & venditionem, nec non vitia Equorum obvenientes dijudicant, teste tamen *Godofr. Christiano* Leysero *in jur. Georg. L. 3. Cap. 12. n. 63.*

CAP. III.

Ad quid venditor obligetur.

§. I.

Effectus. EFfectus vitiorum hujusmodi Cardinalium rescissio s. resolutio contractus est. Hoc tamen cum discrimine, ut, si sciverit & reticuerit hoc vitium, recipere illum, & restituere ei pretium cum usuris damno & expensis teneatur. Ex quo deducitur, quod si Equus retrogradus, suoque hoc vitio in causa sit, ut emtor ab hostibus capiatur, venditorem ei ad interesse obligari. Frantzk. *Comment. ff. L. 21. T. 1. n. 62.* Similiter si coecitate invisibili s. latente laboret, emtorque cum eo præcipitetur in fossam, aut si asthmaticus fuerit, nec emtor illo iter suum peragere aut in usum destinatum adhibere potuerit, sed alium, vice istius, conducere necesse habuerit, omnes hujusmodi impensas, una cum æstimatione pabuli, quo interea frustra fruitus est, restituere tenetur. Facit huc *L. fin. ff. Commod.*

§. II.

An igitur venditor emtori indicare nota ipsi vitia equi tenebitur? ita Communiter a Doctoribus statuitur. *Dn.* Brunnem. autem in *Comment. ff. ad L. 14. de ædil. Edict. n. 1.* id limitat: Si nempe ex tali vitio nullum periculum immineat emtori, tunc enim patefacere id eum non teneri. Quanti tamen Minoris actionem contra eum nihilominus dari. Cum igitur gradus vitiorum hujusmodi dentur, ob quodvis levius, redhibitoria non competet, cum tale requiritur, quod usum ministeriumque illius multum impediat, & deteriorem reddat, ut emtori idcirco eum habere non expediat, nec ob id, si scivisset, emturus fuisset, quod quidem jurejurando obtinere redhibiturum actorem debere, cum *Dn.* Brunnem. *in Comment. ff. ad L. 21. de Ædil. Ed. n. 4.* statuit, *Dn.*

Stryckius

Stryckius *in Usu Mod. ff. Libr. 21. Tit. 1. §. 30. in fin.*

VERUM etsi in aliis vitiis internis Equorum, vel animalium aliorum facilius id admitterem, in Cardinalibus tamen his Equorum, requiri minime crediderim, quia omnis venditor de iis, ipso jure etiam inscius & ignarus tenetur & ad redhibitionem obligatur, unde præsumtionem pro se habet quivis emtor, quodsi scivisset, emturus illum non fuisset, proindeque nec jurejurando opus habet, sed venditor potius contrarium probare tenetur.

HINC, si auriga retrogradum & coecitate latente laborantem emerit, cum vitia hæc usum hujusmodi equi non adeo multum impediant, si scilicet cum aliis onusto currui alligatus ad trahendum adigatur, quin majus tum aliis ministerium præstat, maxime si primum statim currui, intra Temonum angustias includatur, **Wenn es in Karn / gleich forne an / zwischen denen Deichseln eingespannt worden /** ubi nolens volens retrogradus, a reliquis cum præcedentibus adtractus, adhibitaque lorica procedere, onusque currus ferre trahereque cogitur.

Quamvis autem hinc, nihil stultius esse Diogenem dixisse ajat *Dn.* Speidelius *in specul. jurid. part. 1. Voce* **Pferdt** *n. 85.* quam venditorem narrare debere, vitium rei, dum vendit: Tamen, quia vitia hæc utpote non patentia, nec in oculos incurrentia neminem celanda, atque ob id etiam ab ignorantibus præstanda sunt, hinc reticentia dolose & decipiendi animo semper facta creditur, adeo, ut nonnunquam etiam a fraudis suspicione se purgare necesse habeat venditor, per ea quæ superius ex responso Scabinorum Wittebergensium a *Dn.* Bergero relato tradita

 sunt,

ſunt, quod ſi facere non poſſit, non pretium tantum cum uſuris reſtituere, ſed & omnia detrimenta, quæ ex ea venditione emtor traxerit eum præſtare debere Julianus ait *in L. 13. pr. ff. de act. Emt.* Condemnato ſimul eo in expenſas litis.

§. III.

Cum vero ſcientia hæc in animo conſiſtat & difficilis ſic probationis ſit, non dubito, quin jusjurandum deferri venditori ſuper ea posſit. Unde pro cautela non immerito commendandum actori, ut conſcientia venditoris illam committat, qui ſic in mala fide conſtituatur & ſi abjurare deinde eam nequeat, in reſtitutionem damni, intereſſe & expenſas condemnetur. Conf. in ſimili *Dn. D.* Berger. *in Tr. de proceſſu poſſeſſorio* §. *39. p. 143.* Neque excuſabitur ſciens venditor, tametſi generaliter proteſtatus ſit, ſe nolle pro aliquo vitio teneri, cum ipſo jure ad præſtanda Cardinalia obligetur. Richter. *Deciſ. 95. n. 10.* quia igitur in dolo eſt, ſcientia cum proteſtatione juncta ei minime prodeſt, nec liberabit illum, ne quidem a præſtatione intereſſe, licet hoc duplum excedat, cum *l. un. C. de Eo quod intereſt,* ad eos caſus, ubi ob dolum intereſſe petitur, non pertineat. Frantzkius *in Com. ff. l. 21. Tit. 1. n. 109.* Secus eſt, ſi in ſpecie vitium nominatim aliquod excipiat, nec de eo ſe reſpondere velit, proteſtetur, emtorque non contradicat, ſed nihilominus equum illum emat, ſtandum eſſe eo, quod convenit, JCtus ait *in L. 14. §. 9. ff. de ædil. Edict.* Sufficit enim vitium illud non reticuiſſe venditorem, ſibique imputabit emtor, quod ita cum eo contraxerit, niſi forte vitium iſtud palliativa cura occultaverit, veluti ſi Mucum obſtruxerit, quod cum videri non poſſit & dolo venditor agat,

agat, non dubito, quin in THVRINGIA, ubi mucoſitas inter Cardinalia vitia quoque refertur. Teſte Richter. *Deciſ. 95. n. 33.* de eo, ad intereſſe conveniri queat: Quin & extra THVRINGIAM, in ELECTORATV SAXONIÆ quoque de eo tenebitur, non quidem ut de capitali vitio, ſed de DOLO, adeo, ut ſi & alii forte ipſius Equi inde corrumpantur & moriantur, non ad reſtituendum tantum pretium, ſed & omne damnum, intereſſe & expenſas præſtandum obligabitur; Idque eo quoque extendendum, ut licet in Electoratu Saxonico expreſſe proteſtetur, ſe, non niſi de Cardinalibus vitiis reſponſurum: **Daß er nur für die Haupt-Mängel Gewehr seyn wolte.** Nihilominus ob doloſe & fraudulenter ſuppreſſa vitia alia, ad damnum, intereſſe & expenſas condemnari debeat, prout præjudicio Facult. Jenenſ. probat. Beehman. *Comment. ff. Vol. 1. p. 2. Exercit. 7. Lib. 21. c. pract. 11. n. 69.*

§. IV.

Intelligenda igitur hæc tantum ſunt de vitiis occultis non & patentibus, qualia ordinarie omnia capitalia ſunt: Manifeſta enim cum ſemet ipſa oſtendant & viſibilia ſint, indicatione haud indigent, veluti ſi coecus ſit, vel cicatricem in capite habeat, aut claudicet &c. quia ignorantia ſupina pro ſcientia eſt *L. 3. & 6. ff. de jur. & fact. ignor.* nec, ſi contrarium dixerit venditor, tenebitur per *L. 43. ff. de Contr. Emt.* quia ſcienter vitioſum emens a venditore deceptus dici non poteſt, quin ſemet ipſum tum decepit, adeoque de ſe queri debet, quod talem emerit, cum ædilitium edictum ad ea ſaltem vitia pertineat, quæ quis ignoravit, vel ignorare potuit, per *Text. in L. 14. §. fin. ff. de ædil. Edict.* Hinc cum grandi-

nes, die Finnen/ ex apertione palati & inſpectione linguæ facile deprehendi poſſunt, nec redhibitionem gignunt nec venditor pretium reſtituere tenetur, ſed emtor ſibi imputare debet, quod oculari inſpectione uti noluerit, quemadmodum ita a *Dn.* Scabinis Lipſ. pronunciatum refert Carpzov. *p. 2. C. 34. def. 16.* quod tamen alii de lanionibus emtoribus, utpote harum rerum peritis ſolum admittunt, in aliis vero, alterius profesſionis hominibus, minime concedunt, quia emtoribus omnibus id vix injungendum, ut ſemper emtionibus ſuis adhibeant Laniones, qui os porcorum aperiant & inſpiciant, cum hac ratione ædilitia actio nimis reſtringeretur. Brunnem. *ad ff. L. 21. Tit. 1. ad L. 14. n. 9.* & cum eo, Stryckius *in uſu Mod. ff. d. Tit.* §. 7. Sic, cum Lanio denunciaverit directori judicis pagani, zu Ritſcher- und Dittmansdorf/ Dn. Frid. Keinern, quod ruſticus Dittmansdorfenſis, ipſius miniſtro, ſeinem Fleiſcher-Knechte/ porcum grandinoſum vendidiſſet, ab eoque & pretii reſtitutionem cum intereſſe & expenſis, inſuperque pœnam in articulis opificii Lanionum illius loci ſtatutam, pro ſingulis ungulis ſc. porci, quartam floreni petiiſſet, a *Dn. Scab. Lipſ. M. Novembr. 1712.* propter *d. L. 14. §. fin. de ædil. Edict.* denegatam ei actionem eſſe, fando accepi.

§. V.

Multo autem magis tum obligabitur venditor, ſi abeſſe hoc vitium ſtipulanti expreſſe promiſerit. *L. 4. §. 4. ff. de ædil. Edict.* tametſi ipſe equum illum brevi ante ut bonum & ſanum emerit, vel donatum acceperit, atque hinc vitio hoc affectum, eum eſſe ignoraverit, *L. 1. §. 2. ff. Eod.* quia non debuit facile, quod ignorare potuit, eſſe venale. *L. 13. §. 3. ff. act. Emt.*

Sin

Sin absque tali ſpeciali promisſione ignorans vitium, vendiderit, non quidem damnum, ſ. quod intereſt, pretium tamen cum uſuris redhibitoria actione, vel quanti Minoris æſtimandus Equus pro qualitate petiti, inſtitutæ actionis, emtori reſtituit, detractis & compenſatis utroque hoc caſu, commodis, quæ interim emtor ex uſu & miniſterio illius percepit, quod in dubio in ſingulos, detractis feriatis, dies, quarta thaleri pars computari ſolet, Teſte *Dn.* Rivino *c. p. Elect. Sax. Tit. 28.* §. *16.* Quæ actiones non tam tantum obtinent, ſi equus vitioſus adhuc extet & redhiberi ſ. reddi poſſit, verum etiam ſi mortuus ſit, cum probato Cardinali vitio, emtio retro reſolvatur & Equus inemtus habeatur, adeoque periculo venditoris periit. *L. 47.* §. *1. ff. de ædil. Edict.*

§. VI.

Nec Venditor ſaltem ipſe ſed & Heredes illius, Emtori ipſiusque heredibus redhibitoria vel quanti Minoris tenentur. Eſt enim rei perſecutoria atque hic in heredes active & paſſive tranſitoria. *L. 23.* §. *5. & L. 31.* §. *5. ff. de Ædil. Edict.*

Sed quid ſi inter ſe diſſentiant emtoris heredes, uno redhibitoria & alio quanti Minoris volentibus agere? DISTINGVUNT communiter, An equus vitioſus vivat adhuc, an mortuus ſit; Illo uſu alterum, altero invito, redhibitoria agere poſſe negant, quia Venditor alias contra Voluntatem ſuam in Communionem detruderetur per partis animalis redhibitionem, cui communioni tamen invitus ſe committere nemo cogitur. *a. L. 77.* §. *20. ff. de LL. 2.* Hoc autem Caſu unum ad Redhibendum, alterum vero Quanti Minoris agere poſſe, ſtatuunt, quia tunc de pretio reſtituendo, ipſo jure diviſo & in ſe divi-

ſibili

ſibili agendum eſſet, cum mortuus redhiberi ſi retro dari nequeat. Vid. Revenſtrunck *Medit. ædil. l. 1. c. 7. n. 58.* Strykius *U. M. ff. L. 21. Tit. 1.* §. *31.* Quanquam non videam, qui unquam contigerit, ut mortuo equo quis ob cardinale vitium, quanti Minoris, acturus ſit, dum potius ad RESCISSIONEM Contractus & RESTITVENDVM integrum pretium, cum omni detrimento & expenſis agere poſſit, quam quod ſaltim id, quod plus juſto pretio pro eo ſolvit, repetere debeat. Cum verò omnes conſentire ad redhibendum, unumque dare procuratorem debeant, per *L. 31.* §. *5. ff. Ædil. Edict.* pluribus autem exiſtentibus Emtoribus vel heredibus, ſi unus eorum retrahere Contractum nolit, nec reliqui id facere poſſunt. *arg. L. 11. 12. 13. ff. de addict. in diem.* Quia una Emtio eſt, nec pro parte rem venditam recipere, & pro altera cum altero coemtore communionem inire invitus tenetur, conf. Petr. Caſtellii *Adverſaria p. 3. ad L. 13. ff. de addict. in diem*, dummodo citra dolum & Colluſionem id fiat. Sic è Contrario ſi plures conjunctim equum vitioſum vendiderint, isque poſtea redhibendus veniat, tunc contra eum, cujus maxima pars in Venditione eſt, aut ſi æquales partes habeant, contra ſingulos in ſolidum redhibitoria competit. *L. 44.* §. *1. de Ædil. Edict.* *Dn.* Stryckius *l. c.* §. *32.*

§. VII.

Nec ſolius Vitioſi redhibitio, ſed & non vitioſi fieri poteſt tunc, ſi pares Equi, quorum unus Vitio Capitali laborat, alter vero non, emti fuerint, vel TRIGA aut QVADRIGA, tunc enim, quia unum ſine altero Emturus non fuiſſet, omnes quoque redhibendi ſunt, modo una Emtione conjunctim Emti ſint; non diverſa: Alias ſepa-

ſeparatim comparati vitioſi ſeparandi, vel cum iis tantum, cum quibus emti, Venditori ſunt redhibendi. *a. L. 34.35. & 36. ff. de Ædil. Edict.* neque opus habet tunc, jurare, ſe ſciviſſe, unum ſine altero empturum non fuiſſe, quia pro Emtore hic militat præſumtio, Revenſtrunck *in Med. Ædil. l. 1. c. 6. n. 37.* Non autem in Emtione tantum, ſed & permutatione, quæ illi proxima eſt, redhibitio locum habet.

CAPVT IV.

Quæ inde Actiones competant.

§. I.

ACtiones ob Capitalia vitia hæc, competentes, DVPLICES ſunt, Alia REDHIBITORIA, alia ÆSTIMATORIA ſeu QVANTI vel QVANTI MINORIS, inque arbitrio Emtoris eſt, utra earum agere velit ; & REDHIBITORIA, ſi ad totius Contractus Reſciſſionem, ÆSTIMATORIA, ſi ſervato contractu, ad illud ſaltim, quod ultra verum illius pretium pro eo ſolvit, recipiendum agere velit ; quia autem odioſæ Reſciſſiones Contractuum ſunt, hinc MINORI SPATIO, SEX MENSIVM ſcilicet, præ æſtimatoria, QVÆ ANNALIS eſt, includitur. Fit tamen Redhibitoria tunc pœnalis, ſi Venditor in mora ſit, neque pretium nec acceſſiones ſolvat, tunc enim propter Contumaciam dupli pretii & acceſſionis condemnari jubetur, ut loquitur JCtus Cajet. *in L. 45. ff. de Ædil. Edict.*

Non autem hæ Actiones duæ ita ELECTIVE concurrunt, ut una Electa, altera perimatur ; Nam etſi REDHIBITORIA obtinens, æſtimatoriæ amplius non indiget, cum ſuum integrum pretium cum omni cauſa receperit,

SVCCVMBENS tamen QVANTI MINORIS nihilominus adhuc agere poteſt.

Ponamus enim :

Vitium Capitale eſſe, probatum non ſit, cum tamen Quanti minoris propter alia quoque vitia non capitalia agi poſſit, e. g. ſi lunaticus vel calcitroſus, mordax aut jugum non patiens vel articulatus, ſurdus, pavidus, tenax, Hartmäulig/ ſeſſorem recipere nolens, das nicht auffſitzen läſſet ꝛc. ſit, ÆSTIMATORIA adhuc inſtitui poteſt.

Et quamvis regulariter venditor ab actione Quanti minoris ob defectum allegati vitii non capitalis liberatus, multo minus redhibitoria amplius conveniri poſſe videatur, *arg. L. 25.* §. *1. ff. de Re jud.* Conf. Wiſſenbach. *in Comment. ad ff. diſp. 41. Libr. 21. T. 1. Theſ. 10.* Rövenſtrunck *l. c. Libr. 1. C. 7. n. 60.* quia tamen quandoque contingere poteſt, ut æſtimatoria agens, capitale vitium IGNORET, *a. L. 56. ff. de ædil. Edict.* & condemnato reo, pretii partem acceperit, poſtea autem capitale vitium comperiat, adhuc tum redhibitoria agere poſſe, quin & probato in actione æſtimatoria, Cardinali vitio, quodque adeo equus nullius ſit pretii, ut nec expediat quidem, talem habere, veluti, ſi furioſus aut Lunaticus ſit, licet æſtimatoria actum fuerit, officio tamen judicis contineri ait JCtus Paulus in *L. 43.* §. *6. ff. de ædil. Edict.* ut reddito eo pretium recipiatur, quod enim nihili eſt, utique etjam minoris eſt. *arg.* L. *32. & 150. ff. de V. S.* Frantzkius *H. T.* § *4. n. 100.*

Aliud eſt, ſi ſciens tale vitium, nihilominus quanto minoris tantum agat, tunc enim juri ſuo renunciaſſe, &, hoc non obſtante, emtioni, ad æqualitatem æſtimatoria

toria actione reducendæ, ſtare voluiſſe cenſetur, *Dn.* Stryckius *Uſ. M. ff. h. t.* §. 45. Præterea & æſtimatoria propter unum non capitale vitium intentata & finita, receptaque pro eo, pretii parte, comperto alio denuo eadem agere poteſt, *L.* 31. §. 16. *ff. de ædil. Edict.* quia, quo plura in eo ſucceſſive deprehenduntur vitia, eo minori & iam pro ſingulis æſtimandus erit, adeoque quod plus juſto, hujus quoque intuitu, ſolutum eſt, repeti poteſt.

§. II.

Non minus autem in Æſtimatoria hac, ac in redhibitoria, vitio jamdum contractus tempore infectum equum fuiſſe, probandum, & temporis illius valor in æſtimatione reſpiciendus eſt, eaque per peritos equorum taxatores juratos, ad minimum duos fieri debet, Bachov. *ad Treutl. Vol. 2. Diſp. 2. Theſ.* 10. *lit. C.*

§. III.

Num vero etiam exemplo hujus æſtimatoriæ venditori in ædilitia Quanti vel Quanto (*vid. L.* 18. *pr.* & 19. §. *fin. ff. de ædil. Edict.*) pluris, ſcilicet tum æſtimanda & vendenda fuiſſet, competat actio, itidem ad hoc, ut ad æqualitatem redigatur venditio, & quod juſto pretio deeſt, ab Emtore ſuppleatur? NEGAT hoc *Dn.* Strauchius *in diſſ. ædil. poſt. C.* 2. §. 5. actionemque venditi civilem tunc, ad reducendam inæqualitatem pretii & equi venditi, ad juſtam æqualitatem ei ſufficere poſſe, ſtatuit, *Dn.* Stryck. *in U. M. ff. L.* 21. *Tit.* 1. §. 47.

§. IV.

Non autem hæ ædilitiæ actiones honorariæ (vid. tamen *Dn.* Schvvendendörffer. *in Not. ad Eckold. ff. L.* 21. *T.* 1. §. 7. & 11.) ut civiles perpetuæ, ſed TEMPORALES tantum ſunt; & REDHIBITORIA, quidem INTRA SEX

Redhibitoria act. Tempus præſcript.

MENSES ſaltem, ratione initii continuos, a die ſtatim contractus numerandos, ratione curſus vero, utiles ſ. juridicos, atque ſic intra SEMESTRE tantum SPATIVM, locum habet.

L. 19. §. *6.* & *L. 55. ff. ædil. Edict.*

§. V.

ÆSTIMATORIA e contrario per integrum annum a die SCIENTIÆ, utilem durat. *L.* 19. §. *fin ff. h. t.*

§. VI.

Cum vero annus UTILIS, ob difficultatem computationis dierum utilium ab Imperatore Juſtiniano in *L. f. C.* de temp. in integrum reſtitut. abrogatus, & in QVADRIENNIUM CONTINUUM mutatus ſit, nec in his ædilitiis duabus actionibus, tempus utile amplius obſervari, ſed loco ſex Menſium utilium, & anni utilis, QUADRIENNIUM hodie ſubſtitutum eſſe tradunt. Stryck. *in not. ad Lauterb.* L. 21. *T.* 1. *ad p.* 412. *verb. ratione Curſus.* Id. *U. M. ff. eod. Tit.* 1. § *33.*

Dummodo equus tempore contractus vitio hoc jamdum affectus fuerit, & brevi poſt ſe exſeruerit, non autem ſi longe poſt demum appareat, quia tunc culpa magis emtoris vel aliorum, aut caſu etiam id ei obveniſſe creditur, quo de judex arbitrabitur. Carpzov. *p. 2. c. 34. defin.* 18.

§. VII.

Præterea denegandam quoque & Redhibitoriam & quanti minoris actionem, emtori eſſe, cum Labeone, JCtus Paulus in *L. 47. ff. de ædil. Edict.* ait: Si equum vitioſum alienaverit, vel culpa ſua amiſerit, ſecus quam, ſi ſine culpa illius, familiæve mortuus ſit. *L. 38.* §. *3.* & *L. 48. pr.* & §. *1. h. t.* quia tunc nec redhiberi venditori,

nec

nec retineri ab emtore, recepta saltim pretii parte, contento, potest. Conf. Mev. *p. 4. Decis. 341.*

§. VIII.

Utut autem *Dn.* Schilterus *in prax. Jur. Rom. Ex. 34. ad L. 21. Tit. 1. Thes. 15.* parum usus in foro Germanico tribuat ædilitio Edicto, illiusque rigorem vix amplius observari tradat, reclamat tamen quotidiana ei experientia, qua de Dn. Carpz. & plures alii abunde testantur, cum nulla lege publica abrogatus, quin ut in æquitate & justitia pro declinanda læsione & servanda inter Emtorem & venditorem æqualitate fundatus, Reipublicæ potius utilis sit, ac proinde *Dn.* Stryckius *in U. M. l. 21. Tit. 1. §. 19.* ab eo non immerito dissentit. Quo autem USUS hujus materiæ practicus eo magis appareat, pro utraque Ædilitia actione, sequenti modo, sic formandi Libelli & quidem:

I. REDHIBITORIA.

Kläger saget zu Anbringung seiner Klage kürtzlich/ was massen er vor 8. Tagen/ als den 12. Octobr. dieses 1714. Jahres von Beklagten N. N. ein paar Castanien-braune Kutsch-Pferde/ mit schwartzen Mehnen und Schweiffen/ deren eines ein Hengst/ das andere ein Wallach ist/ in Leipzig vor 250. Rthlr. baar erkaufft und bezahlet. Ob er nun wohl verhoffet/ es würden dieses tüchtige und gute Pferde seyn/ so hat er doch/ als er Tages darauf damit von Leipzig nach Dreßden zurück reisen wollen/ erfahren müssen/ daß das Sattel-Pferdt/ der Hengst/ als er mit selbigen kaum eine halbe Meile Weges von Leipzig gefahren gewesen/ in der Strasse stehen blieben/

und alles peitschens ungeachtet nicht von der Stelle weiter fortgehen wollen / sondern sich stets aufgebäumet / und um sich herum / auch das Geschirr und gantz neue Kutsche entzwey geschlagen / also daß über 2. Stunden mit demselben zubracht worden / ehe es nur in das nechste Dorff N. vollends gebracht werden können / dergleichen auch des folgenden Tages wieder geschehen / so / daß er erst den 4ten Tag darauf in Dreßden angelanget. Wenn denn hieraus sattsam erhellet / daß gedachtes Sattel-Pferdt STEDIG sey / dergleichen aber nach Sächsischen Rechten vor ein Haupt-Mangel zu achten ist / und um deßwillen die Redhibition statt hat / Beklagter auch wohl gewust / daß gedachtes Pferdt mit diesen Mangel damals bereits behafftet gewesen / und solches Klägern / vorsätzlich verschwiegen / inmassen er diese Scientiam vitii, Beklagten auf den Verneinungs-Fall a verbis : Beklagten auch wol etc. in sein Christliches Gewissen / zur eydlichen Eröffnung gestellet haben will / gleichwohl ihme Klägern um dieses mangelhafften Sattel-Pferdes willen auch das Hand-Pferd nicht anstehet / hingegen Beklagter zur Wiederzurücknehmung dieser beyden von ihme erkaufften Kutsch-Pferde in Güte nicht verstehen will ; Als ist er wieder ihn zu klagen genöthiget worden / fordert von demselben hierauf richtige und deutliche Antwort / nach deren Erfolg bittet er zu erkennen und auszusprechen / daß Beklagter

Diese beyde an Klägern verkauffte Kutsch-Pferde zurück zu nehmen / und dagegen das dafür empfan-

pfangene Kauff-Geld der 250. Rthlr. Klägern hinwieder cum interesse zurück zu geben/ ihme auch allen dadurch erlittenen Schaden und Unkosten zu erstatten schuldig sey. Desuper Nob. Jud. offic. implorando.

II. Æstimatoria action. s. Quanti Minoris.

Kläger saget zu Anbringung seiner Klage kürtzlich/ wie daß er vor 8. Tagen als am 12. Oct. dieses 1714. Jahres von Beklagten N. N. ein Reit-Pferd/ so ein Rappe von ohngefehr 5. Jahren/ und ein Wallache ist/ vor 120. Rthlr. in Leipzig erkaufft. Nachdem er aber folgenden Sonntags darauf/ auf ein Land-Guth N. reiten wollen/ hat sich dasselbe unter Wegens vor alles/ was ihme entgegen gekommen/ oder im Wege gelegen/ dergestalt gescheuet/ daß es zum öfftern plötzlich Seit-wärts ausgesprungen/ und vielmahl mit ihme fast in die Gräben und Wasser gestürtzet/ also/ daß er sich nicht getrauen darff/ mit selbigen über eine Brücke oder Steig zu reiten/ mithin er seines Lebens darauf nicht sicher ist/ Beklagter aber zur Zeit des Verkauffs solchen Defect an diesem Pferde wohl gewust/ und Klägern selbigen angezeiget/ hingegen erwehntes Pferd dieses seines Mangels halber kaum 50. Rthlr. werth ist/ solchergestalt Beklagter ihme die zuviel dafür empfangene 70. Rthlr. wieder heraus zu geben schuldig/ er aber sich in Güthe darzu nicht verstehen will/ als ist Kläger wider ihn deswegen zur Klage gemüßiget worden/ fordert von ihm hierauf Antwort/ nach deren

Er-

Erfolg bittet er zu erkennen und auszusprechen / daß Beklagter die vor das libellirte Reit-Pferdt von Klägern zu viel empfangene 70. Rthlr. Kauf-Geld selbigen nebst interesse heraus zu geben / auch ihme die veruhrsachten Schäden und Unkosten zu erstatten schuldig sey / desuper &c.

S. D. G.

COROLLARIA

I.

Prorogatio jurisdictionis a loco ad locum fieri potest.

II.

Fur fune ter rupto in terram cadens, iterum suspendi debet.

III.

Liberi restituuntur in integrum contra parentes.

IV.

Habenti Tutorem Tutor dari potest.

V.

Si soluto semel matrimonii vinculo, quondam Conjuges sibi invicem reconcilientur, & matrimonium redintegrari cupiunt, nova sacerdotali Copula opus est.

FINIS.

